

A N N O M D C C L X.

M E N S E J A N U A R I I.

CAS. I. **N**ovit Parochus, suam Parochianam simul ac Penitentem impuro illius amore flagrare, ipsumque sollicitare non erubuisse; at simul etiam novit, quod si pro Confessione, ac spirituali directione eam ad alium dimittit, in omne luxuriae cænum ipsa facile prolabetur. Quid agendum a Parocco in isto casu?

Resp. Parochum debere in primis fœminam graviter increpare de temeritate habita in ipso sollicitando; deinde totis viribus curare, ut illa impurum erga se amorem deponat, efficaciter ei ostendendo, ipsam esse in statu damnationis, usque indignam Sacramentorum, quoisque ita vixerit; denique opportuna eidem præscribere remedia orationis, mortificationis &c. ut resipiscat, & desinat infanire. Si noscat Parochus, fehice mediis proficere, prosequitionemque directionis nec sibi, nec fœminæ affere spirituale nocumentum, debet in tali casu prosequi eam audire in Confessione, eamdemque dirigere; eo quia, cum tunc spes affulgeat illam tandem reducendi in semitam rectam, ex officio tenetur cooperari tali bono spirituali suæ Parochianæ, præcipue cum secus ea subiicit periculo prolabendi in omne luxuria cænum, prout exprimitur in casu. E contra si Parochus animadverrat, omne medium, etiam magis aptum, cum ea adhibitus, ac plures repetitum, respectu ipsius esse inutile, ac inefficax; aut hujuscem direktionis prosequitionem impurum potius illius erga se amorem fovere, vel sibi esse spiritualiter noxiæ, aut periculosam; tunc dico, Parochum in primo casu posse; & in duobus aliis casibus teneri ad alium Parochianam dimittere, non obstante præfato periculo. Ratio primi est, quia statim ac Parochus movit, ut dici solet, omnem lapidem, ut Parochianam ad bonam frugem reduceret, ast ipsa rectam viam scire non vult, redditque iniutilem omnem conatum, curamque Pastoris, hic satisficerit muneri suo; nec culpabilis est, si dolens de illius pericaci impenitentia; ac enixius eam Deo commendans, ipsam ad alium dimittit; nam si perit, ipsius perditio ex ipsa est, quæ sequi noluit dum Pastoris, demum coacti dicere cum Angelis, deputatis ad curam Babylonis: Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Ratio secundi est, quia in eo casu tenetur Parochus subtrahere hujusmodi fomentum, ne ipse sit Parochianæ laqueus iniquitatis; unde si sua directio ea est, quæ fœminæ potius fomentum præbet impuri erga ipsum amoris, debet Parochus atali directione desistere, ac fœminam ad alium dimittere: maxime cum sua directio sit fœminæ malum actuale, ac certum; dimissio vero ipsam relinquat soli periculo expositam, quod, si ipsa vult, adjuvante Deo, potest etiam declinare. Ratio denique tertii, ac ultimi haec est; quia ex ipsam lege naturæ etiam Parochus prius tenetur prouidere saluti animæ suæ, quam alienæ: Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? dicebat Christus Matth. 16. Ergo si dicta prosequitione directionis est animæ Parochia noxia, vel pericolosa, debet idem Parochus malum, seu periculum, extin-